

www.e-rara.ch

Aristotelous hapanta

Aristoteles

Basileae, anno 1531

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-399>

Des. Erasmus Roterodamus Ioanni Moro s. d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ARISTOTELES, philosophorum, ne Platone quidem, iuxta M. Tullium, excepto, citra controuersiam omnium doctissimus, ornatissime iuuenis, crasso cuiusdam & ἀμύσῳ percontanti, quid esset discriminis inter doctos & indoctos, expedite respondit, quod inter uiuentes & mortuos: rectissime iudicans, qui corporum modo uita fruerentur, quam habemus cum asinis, suibus, & anseribus communem, & corporeis tantum oculis solem intuerentur, quem acutius cernunt aquilae: animis uero, quibus, ut idem ait, lucem ac uitam donat philosophia, nihil cernerent, eos nec hominis appellatione dignos, & mortuos esse uerius quam uiuos, minimoque interuallo a lapideis differre signis, hoc nomine etiam inferiores, quod statuæ sic delectant oculos, ut nemini maledicant, lædant ue quenque. Idem dicere solet, liberalium disciplinarum radices quidem subamaras esse, fructus uero dulcissimos. Quod idem tectius, utpote poeta, significare uidetur Homerus, quum depingens moly, herbarum præstantissimam, & aduersus omne maleficorum genus efficacissimam, ait eam radice nigra esse, sed flore lacteo candidoque. Proinde præstat hoc nobis eruditio liberalis, non tantum ut homines simus, & a pecudum genere segregemur, ut toti uereque uiuamus, uerumetiam ut feliciter suauiterque uiuamus. Nihil aut addubito mi MORE, quin tu iam dudum deuorato, si quid erat in studijs amari, dulcissimos philosophiæ fructus carpas, nimirum ex tali patre natus, & ab eodem a teneris, ut aiunt, unguiculis institutus, formatus, ac prouectus, idque non minus in utriusque linguæ disciplinis, quam in pietate Christiana, moribusque sanctissimis. Siquidem ipse uir pius iuxta ac eruditus, nihil magis cordi studioque habuit, quam ut filium sui similem magis educatione fingeret, quam natura genuisset, quo nimirum & ipse totus esset pater, & te filium haberet uere γνήσιον. Hoc profecto nomine non paulo fortunatior es, quam si ex quouis Regum Cæsarum ue nasci contigisset. Si istam tuam felicitatem agnoscis, ut te maxime facere credo, non potes non & maximas agere gratias uniuersæ felicitatis autori Deo, & summa ope conniti, ut tum numinis tam effusæ in te benignitati, tum optimi parentis eximiae pietati respondeas. Etenim si cuiquam omnino contigit, ut quod ait Comicus, domi haberet unde disceret, & eruditio nem ac pietatem unam cum lacte nutricum sugeret, hoc tibi datum est insigniter. Neque nescis ab hoc eodem ARISTOTELE, (ne ab illo recedamus) præclare dictum esse, plus debere nos ijs a quibus instituti sumus, quam a quibus prognati, quod a parentibus tantum accipimus ut uiuamus, a præceptoribus ut bene uiuamus. Vtrunque munus tibi cumulatissime præstitit optimus parens tuus, & tu illi geminam debes gratiam. Hæc quum ita sint, uideor mihi superuacaneam sumpturus operam, si iam pridem alacriter currentem coner incitare. Applaudere

tantū & acclamare libet, strenue, multis à tergo relictis, ad perfectio-
 nis metā properanti, uidelicet quo curras alacrius. Arbitror enim te
 iam pridem absolutis mansuetioribus disciplinis, augustioris philoso-
 phiæ mysterijs initiatum, ut sapientiam eloquentiæ copules, pedisse-
 quæ reginā. Nam nimis ridicule mihi facere uidentur, qui per omnē
 uitam nihil aliud agunt quàm ut recte loquantur, nec hoc ipsum quod
 unum expetunt, consequuntur, quum iuxta Flaccum, dicendi recte, sa-
 pere & principiū sit & fons. Hæc reputanti, suauissime IOANNES,
 uisum est ARISTOTELEM, totius philosophiæ principem &
 consummatorem, modo ueluti renatū, tibi dicare, ut in huius penetra-
 libus assidue uersans, si quid deest orbi disciplinarū, absoluas. Vnus
 enim hic philosophiam, à diuersis per fragmenta sparsim mutilatimq;
 traditā, in ordinem redegit, ac uelut in corpus compegit, ut qui à Poë-
 tis ac Rhetoribus orsus, ad Logicen deducit: hinc moribus omni ex
 parte diligenter instructis, per omneis naturæ parteis circumducit:
 postremo ad ea quæ naturam humiliorē superant, euehit, usq; ad sum-
 mam illam mentem, quæ superat omnem intellectum. Vnde non in-
 iuria M. Tullius, haudquaquam stupidus ingeniorū aestimator, hunc
 unum appellat aureū flumen, aptius mea sententia dicturus, totius sa-
 pientiæ ditissimū quendam mundū. Sed ὁ κρόνον deorum inuidiosissi-
 mum, cui parum est exedere marmora & æra, corporum imagines,
 nisi & ingeniorū monumenta uel deuoret, uel corrumpat. Tam opu-
 lentus, tam inæstimabilis thesaurus nobis in totum perierat, nisi per
 Lucium Syllam fuisset ab orco reductus, quo uel unico beneficio uir
 ille semet ab inuidioso conuicio uindicare poterat, quo contumeliosis
 uersibus sibi felix dictus est, non Reipub. Nam ARISTOTELIS
 lucubrationibus in lucem reuocatis, non unī tantū urbi, sed uniuerso
 orbi felix dici promeruit. Sed hoc gaudium de recepto ARISTO-
 TELE, non mediocri dolore temperauit Nemesis, dum reputamus
 quàm multa rursus ex huius philosophi monumentis interciderint,
 quæ prisci scriptores testantur ab eo composita. Aiunt enim illum
 scripsisse libros plures trecentis. Diogenes summam æstimat uer-
 sibus supra quinquies mille, trecentis & triginta. Nam prisci solent
 uersuum numero signare uoluminum magnitudinem, ueluti nota cer-
 tiore, quod libri frequenter sint inæquales pro materiæ copia. Sed
 huius iacturæ molestiam qualicunq; solatio mitigant, quod aiunt pau-
 cos quidem, sed optimos quosque nobis esse incolumes. Vniuersos
 autem redigunt ad quatuor classes, quarum prima continet eos qui
 dicendi periuadendiq; rationem tradunt. Ad hanc referri possunt ea
 quæ de Poëtica, Musica, prouerbijsq; scripsit, aut si quod est aliud si-
 mile. Secunda, qui differendi ratiocinandiq; scientiā docent. Tertia,
 qui moralem ciuilemq; disciplinam tradunt. Quarta, qui de naturali-
 bus ac supernaturalibus tractant. Nunc quid in quacq; classe nobis pe-
 rierit aut extet, uelut in tabula tibi depingam.

In prima, quæ, ut dixi, Rhetoricen docet, qui græci extant hi sunt:
 Rheto

Rhetorices ad Theodectū, libri tres, quum Laërtius nō numeret nisi duos, testans tamen illum de Rhetorica bis, duobus uoluminibus tractasse. Ad Alexandrum de ciuilibus sermonibus, liber unus. De Poëtica, liber unus.

In secunda, quæ Dialecticam tradit, extant hæc:

De prædicamentis decem, liber unus. De enunciatione, liber unus, quem nunc fecant in duos. Analyticorum priorū, libri nouem, quū nobis extent tantum duo: nisi fortassis hi sunt, quos Laërtius hoc titulo cōmemorat, Syllogismorū duo. Analyticorū posteriorū, siue demonstrationum, libri duo. Topicorum, libri octo. Elenchorū, liber unus, quem nescio quis secuit in duos.

In tertia, quæ moralia continet, hæc supersunt:

Ethicorum ad Nicomachum, lib. decem. Ethicorum ad Eudemum lib. octo: sic uidetur, est enim septimus longissimus. Ethicorum quæ magna uocantur, lib. duo. Politicorum, lib. octo. Oeconomicorū, lib. duo, quorum alter nothus est.

In quarta supersunt hæc:

Naturalium auscultationum, lib. octo. Meteorologicorum, lib. quatuor. De cælo, lib. quatuor. Historiæ animalium, lib. decem. De partibus animalium, lib. quatuor. De generatione animalium, lib. quinque. De generatione & corruptione, libri duo. De mundo ad Alexandrum, lib. unus. De coloribus, lib. duo. † De plantis, lib. unus. De sensu & sensibili, lib. unus. De iuuentute & senectute, lib. unus. De somno & uigilia, liber unus. De insomnijs, lib. unus. De diuinatione in somnis, lib. unus. Problematū sectiones permultæ. De uita & morte, lib. unus. De respiratione, liber unus. De flatu, liber unus. De physiognomicis, liber unus. De anima, lib. tres. De memoria & meminisse, lib. unus. De mechanicis, liber unus. De lineis illatabilibus, liber unus. De Xenophanis, Zenonis, & Gorgiæ placitis, lib. unus. Supernaturalium, lib. quatuordecim.

Tantum nobis superest, & quidem græce. Nunc accipe quæ in quaq; classe desiderantur.

De prima desiderantur hæc:

De Poëtis, lib. tres. De Rhetorica, liber unus, cui titulus Gryllus. Nerinthus, liber unus. De enthymematibus rhetoricis, libri duo. Artis poëticæ tractatio, lib. duo. De consilio, lib. unus. De Homericis ambiguitatibus, libri sex. Liberalium disciplinarum, lib. duo. Parabolarū, lib. unus. *ἀτάκτων*, id est, inordinatorū, libri duodecim. Olympionicæ, liber unus. Pythionicæ, liber unus. Pythionicarum elenchi, liber unus. Dionysiacæ uictoriæ, lib. unus. Pythicus, musices lib. unus. De tragædijs, liber unus. De doctrinis, liber unus. Prouerbiorum liber unus. Carmen ad Philoxenum. Scripsit & elegias. His adiungi possunt, Mathematicus, lib. unus. De magnitudine, liber unus. De Musica, liber unus.

Ex secunda desiderantur hæc:

Sophista, liber unus. Menexenus, lib. unus. De scientijs, lib. unus.

† Inter græce impressos non extat.

Solutiones contentiosorum, liber unus. Diuisiones sophisticæ, libri quatuor. De contrarijs, lib. unus. De speciebus & generibus, lib. unus. De proprijs, lib. unus. Cōmentaria aggressoria, lib. tres. De instantia, lib. unus. De his quæ aliquot modis dicuntur, aut iuxta additionem aut propositum, ut reddidit Diogenis interpres, quæ Aldina æditio habeat κατὰ πρόθεσιν, lib. unus. De scientia, liber unus. Diuisiones decem & septē. Diuisibiliū, lib. unus. De interrogando & respondendo, lib. duo. De propositionibus, lib. unus. Propositionum contentiosarum, libri quatuor. De syllogismo, liber unus. De quæstionibus, lib. unus. Methodicorum, lib. octo. De syllogismis, lib. duo. Syllogisticorum & definitionum, lib. duo. De elegibili & contingenti, lib. unus. De his quæ ante locos sunt, lib. unus. Topicōn ad finitiones, lib. duo. Diuisionum, lib. unus. Definitionū lib. tres. Epicherematū, lib. duo. Quæstiones aggressoriæ, lib. uiginti quinque. Artium collectio, lib. duo. Ars, liber unus. Ars alia, lib. duo. Compendium artis, lib. unus. Artis Theodecti contractio, liber unus. Enthymematū diuisiones, lib. unus. De dictione, lib. tres. Collectionum, lib. duo. Aduersus Gorgiam, lib. unus. Problematum ex Democrito, lib. sex. De doctrina, lib. unus. Aduersus Zenonis scita, lib. duo. Encyclicorum, lib. duo.

Ex tertia interciderunt hæc:

De iustitia, lib. quatuor. De philosophia, lib. tres. De Repub. lib. duo. Amatorius, liber unus. Conuiuū, lib. unus. De diuitijs, lib. unus. Exhortationum, liber unus. De nobilitate, lib. unus. De uoluptate, lib. unus. Alexander, seu de colonis, liber unus. De regno, lib. unus. De bono, lib. tres. De Platonis legibus, libri tres. De Rep. Platonis, lib. duo. De amicitia, lib. unus. Quid sit affici aut affectū esse, lib. unus. Propositiones de uirtute, lib. tres. De perturbationibus iræ, lib. unus. De imperio, lib. unus. De meliori, lib. unus. De affectibus, lib. unus. De uoluntario, lib. unus. De pulchro, lib. unus. Quæstionum de amicitia, lib. duo. Politicorū, lib. duo. De iustis, lib. duo. Iustificationū, lib. duo. Iura, lib. unus. Lex cōmendatitia, lib. unus. Legum, lib. quatuor. Politicæ ciuitatū, lib. centum uigintiocto: & seorsum de democratia, oligarchia, aristocratia, & tyrannide. Addantur his epistolæ ad Philippū. Selymbriorū epistolæ. Ad Alexandrum quatuor. Ad Antipatrū nouem. Ad Mentorem una. Ad Olympiadem una. Ad Hephæstionem una. Ad Themistagoram una. Ad Philoxenum una.

Ex quarta interciderunt hæc:

De elementis, lib. tres. De motu, liber unus. De Idea, liber unus. Quæstionū de anima, liber unus. De natura, lib. tres. Physicus, lib. unus. De Archytæ philosophia, lib. tres. De Speusippi & Xenocratis philosophia, lib. unus. De Timæi & Archytæ libris decerpta, lib. unus. Aduersus Melissi dicta, liber unus. Aduersus Pythagoricos, liber unus. Aduersus Alcmaeonis placita, lib. unus. Aduersus

Xeno

Xenocratem, lib. unus. De Pythagoricis, lib. unus. De incisionibus lib. octo. Excerptio incisionū, lib. unus. De compositis animalibus lib. unus. De fabulosis animalibus, lib. unus. De non gignendo, lib. unus. De plantis, lib. duo. Medicinaliū lib. duo. De signis tempe-
statū, lib. unus. Astronomicus speculatiuus, lib. unus. De motu, li-
unus. Inspectorū problematū, lib. II. Exposita generatim, lib. XIII.

Vides charissime iuuenis iacturam simul & lucrum studiorū, quo-
rum utrunq; eo uisum est proponere, ut his quæ Deo propitio super-
esse contigit, fruamur auidius, cautiusq; seruemus. Quanquam plura
extant hodie latine uersa, quàm quæ græca reperiuntur. Et in utroq;
genere sunt, de quorum autore non immerito possit ambigi. Primū
illa minuta opuscula, de uita & morte, de memoria & meminisse, de
longæuitate & breuitate uitæ, & huius generis multa, uel hoc argu-
mento uideri possunt notha, quod apud Diogenem Laërtium, qui cu-
riosius etiam recenset huius uiri lucubrationes, horum nulla omnino
fiat mentio, etiamsi in his nihil ferè est non eruditum ac lectu dignū.
Librum de pomo constat hominis esse Christiani. In librum de uege-
talibus qui præfatur, ait esse uersum ex Arabica lingua: ac probabile
est Arabis cuiuspiam esse, adeò subinde citat Abruculum quendam,
Græcis inauditum. Quicquid tamen est huiusmodi libellorum, quo-
niam ab his qui philosophiam Aristotelicam in scholis profiteban-
tur, solent prælegi, Aristotelis titulum obtinuerunt. Liber moraliū,
quæ magna dicuntur, uidetur ex libris ad Nicomachum decerptus.
Qui uero ad Eudemum scripti sunt, in prioribus planè referunt uim
& acumen Aristotelis, posteriores uidentur ab alio quopiam adiecti,
quum in his repetantur isdem uerbis quæ disputantur ad Nicoma-
chum. Librum de mirabilibus narrationibus res ipsa loquitur è di-
uersis autoribus esse confarcinatum, nec præ se fert indolem Aristote-
licam. Opus problematum in primis eruditum, apparet à studio-
sis contaminatū, uel hoc indicio, quod toties eadem iterantur. Et haud
scio an hoc sit opus, quod Laërtius hoc titulo recenset, Problematum
ex Democrito libri sex. Cōmemorantur & alij duo libri problema-
tum *πεπερασμένων*, unus Encycliorū, rursus alij *θεωριῶν* & protaseon, ex qui-
bus probabile est has quas habemus sectiones magna ex parte decer-
ptas. De Oeconomicis Laërtius non recenset nisi unum librum,
quum Leonardus Aretinus uerterit duos, quorum posterior non in-
uenitur. In huius locum Aldus supposuit fragmentum stratagema-
tum, nihil faciens ad rem œconomicā. Prior *γνησιότατος* est Aristote-
lis, sed utinam esset absolutus: Secundus quem uertit Leonardus nec
cohæret cum superiore, nec resipit ingeniū Aristotelis. De anima
Laërtius unum tantum librum cōmemorat, sed hunc fortasse studio-
sus aliquis in treis dissecuit. Rhetorica ad Alexandrum, quamuis
apprime docta, tamen duplici nomine dubitari potest an sit illius ger-
mana: primū quod Oratorū more præfatur, id quod alibi nunquam,
sed semper ad rem festinat: dein quod huius Diogenes non memine-

rit. Liber de plantis non est separatum opus, sed pars, aut si maius tertius liber de coloribus. Liber de mundo ad Alexandrum discreti hominis est, sed multum discrepans à phrasi Aristotelica. Liber de lineis indiuisibilibus, quamuis hominis apprime docti, non sapit tamen Aristotelem, nec eius meminit Laërtius. In his ita meam sententiam aperui, ut nihilo secus suum cuique liberum per me quidem sit iudicium. Reliquum est, ut paucis attingam, quid hac postrema, hoc est Bebeliana æditione accesserit studiosis. Principio fateor plurimum gratiæ deberi Aldo, qui primus omnium sua industria typis græce euulgarit autorem, quo uix alius lectu dignior, nam antehac illum habebamus, sed ita uersum, ut ad intelligendum Delio, quod aiunt, nata tore esset opus, si modo excipias quæ uertit Theodorus Gaza, in hoc genere felicissimus, & Leonardus Aretinus. Nam Argyropilum arbitror post æditionem Aldinam eam prouinciam aggressum. Sed Aldina uolumina quoniam magno emebantur, submouebant tenues philosophiæ candidatos, nec ferè inueniebantur nisi in Italia: post uix unquam reperiri cœperunt, diuenditis omnibus aut certe plerisque. At hoc præstitit Ioannes Bebelius, ut inæstimabilem thesaurum typis multo elegantissimis euulgatū, quamlibet tenuis non magno precio sibi possit comparare. Imò non prorsus idem nobis prodijt **ARISTOTELES**, sed multo quàm antea fuit emaculatio, idque potissimum studio, uigilantia, fideque Simonis **GRYNÆI**, iuuenis in omni genere literarum haudquaquam uulgariter eruditi: at non sine præsidij fidelium exemplariorum. Siquidem in Dialecticis adhibitus est emendatissimus codex, in quo uix ulla fuit pagina, quæ non aliquod opere precium attulit. In physicis auscultationibus consulta sunt Simplicij commentaria, & in huius argumenti libro septimo pro Themistiana paraphrasi, reposita sunt ipsius Aristotelis uerba, idque ex autoritate Simplicij, ut confidamus in his duobus operibus aut nihil aut quam minimū fore quod lector desideret. In libris de animalibus loca non pauca repurgata sunt, præsidio translationis Theodoricæ.

Liber *τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ* minimū erat inquinatus mendis, nisi quod huic operi autor ipse non uidetur extremam addidisse manum.

Ethica ad Nicomachum recte habebant, nec admodum egebant emendatoris industria. Atque utinam licuisset in opusculis minutioribus omnes explere lacunas, & quod deprauatum erat ad plenum restitueret. Imò utinam liceret omnia quæ in huius uiri lucubrationibus desiderantur, adiungere. Certe quicquid ab Aldo fuit æditum, hic & solidum habetur, & multo castigatius, denique longe minori precio parabile. Id meo periculo nō dubitem polliceri, meamque fidem facile probabit diligens lector, si non grauabitur cōferre. Iam si quis expendat, quantis uigilijs, quantis sudoribus, quantis etiā impendijs parata sit hæc studiosis omnibus cōmoditas, fatebitur plurimum & fauoris & gratiæ deberi Ioanni Bebelio, qui quum possit aliorum exemplo, friuolis ac mox emorituris libellis uenari præsens lucrū, maluit in egregios

AD IO. MORVM EPIST. NVNCVPATORIA.

gios autores maximam facultatum suarum partem periclitari. Lacon ille nihil morabatur diuitias de funibus pensiles: sed haud scio an incertiora sint quae pendent de chartis. Aequum est autē, ut omnes literarum studiosi talium uirorum industriæ faueant, & fauendo ad similia audenda studeant accendere. Id fiet, si quanto studio ille tantū thesaurum offert, tanta auuiditate rapiant quibus illo est opus: & cui tandem non est opus? ut iam hoc multo magis sit fauere sibi, quàm Babelio. Sed ut ad te redeam clarissime iuuenis, scio te in hoc Peripatetico solitum libenter *περιπατῆν*, libentius etiam obambulatūrū, quum omnia deprehenderis purgatiōra. Proinde ut huc hortari te serum arbitror, ita ut pergas, excitare non admodum puto necessarium, qui tot exemplis domesticis undiq; pungaris extimulerisq; ut quamuis pigrum ac somniculosum ingenium possit ad sapientiæ studium excitari. Hic ipse ARISTOTELES dixisse fertur, sibi turpe esse silere, loquente Xenocrate: longe uero turpius tibi fuerit nō philosophari, quū uideas optimas sorores tuas MARGARETAM, ALOISIAM, CECILIAM, tam sedulo, tamq; feliciter in utriusq; linguę scriptoribus uersari. Quanquā omnium acerrimū ad omnem uirtutem calcar esse debet, uir omnibus numeris absolutus pater tuus THOMAS MORVS, qui magis te genuit institutione quàm natura, & in quo uelut in speculo uides esse uerissimum quod dicere solitus est Aristoteles, *καλλιστον ἐφόδιον εἶναι τῆς γῆρας παιδείαν*. Siquidem hoc magna ex parte debet literis, quod ei muneri, quo non aliud uel secundum regiam dignitatem augustius, uel ad bene gerendum difficilius, non modo par esse, uerum & superesse potest. Quod tamen ipsum, nisi prorsus ignoro naturā illius, perlubenter recusaturus erat, si uel phas iudicaret usquam non morem gerere Regis optimi uoluntati, uel pium existimaret, patriæ concordibus suffragijs ac publica uoce huc uocanti pernegare obsequium. Quin & illud debet philosophiæ, quod nec tanta dignitas tantillum illi addidit supercilij, nec negociorū undiq; circūstrepentium undæ, quicquam de pristina comitate diminuerunt. Video iam dudum epistolam excedere modum, sed dimittam te, si tibi adhuc unum Aristotelicum apophthegma recensuero. Quidam iactanti sese quod amplæ celebrisq; ciuitatis esset ciuis, Noli, inquit, istuc spectare, sed expende num illustri ciuitate sis dignus. Itidem tu quoque mi IOANNES, merito gloriari poteris te tali patre prognatum, si, quod facis, adniti pergas, ut tali patre dignus uideare. Datum apud Frisburgū Brisgoiæ, III. Kal. Martias. Anno domini, M. D. XXXI.